DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MORBO VENEREO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES MURDOCH LOGAN, A. M.

CIVIS BOSTONIENSIS AMERICANUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.

Viro illuſtriſſimo

PATRICIO COLQUHOUN,

ARMIGERO,

Nobiliſſimam Montis Roſarum familiam,

Sanguine materno,

Et antiquam de Luſs paterno attingenti,

Praetori urbis Glaſguenſis,

Magiſtratui incorruptiſſimo,

Nulliſque artibus a juſto recto que detorquendo,

Et ob judicium accerrimum,

Et in rebus excogitandis et gerendis,

Jure nobilitato,

Propter beneficia fere innumera,

Quibus ſe ſuoſque, per longum annorum decurſum,

Indefeſſus et conſtans proſecutus eſt,

Hanc diſſertatiunculam inauguralem,

Exiguum animi tantae benevolentiae,

Et humanitatis haudquaquam immemoris,

Monumentum,

Ea obſervantia, qua par eſt,

D. D. Cq.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO VENEREO.

HÆC peſtis graviſſima forſitan, Dei Omnipotentis permiſſu, in genus humanum, libidinis nimiae et vagantis coercendae et refraenandae, invaſit. Quid enim hoc ipſo morbo, qui pulchritudini et ſanitati mortalium fundamenta toties ſubruit, ad appetitum venereum limitibus, quos ratio recta praeſcribit, juſtis circumſcribendum accommodatius eſſe poteſt?

Eum et Graeci et Romani ex toto ignoraſſe videntur; nullam enim ejus mentionem injecerunt, qui olim floruerunt medici, hiſtorici, poetae. Sub primum exortum nomen ſingulare

 non

non habuit, ab Hiſpanis Las Bubas, a Gallis La Verole, quae vocabula puſtulas coloribus diverſas ſignificant, appellatus. Nomina quoque a quibuſdam ſanctis, quorum Numine depelli creditus, et a regionibus diverſis, unde venire exiſtimatus, accepit. Hanc ob cauſam, apud Britannos, nomen *Gallicus Morbus* ei inditum.

Anno ſalutis humanae 1493, incolas Hiſpaniae primum infeſtare coepit, illuc per Columbum ſociosque ejus ab India Occidentali adlatus. Anno inſequente Italiam attigit, ubi ſtragem apud milites Gallicos Neapolim, Carolo Octavo duce, obſidentes horrendam edidit. Hi domum brevi poſtea reverſi in univerſam Galliam eum cito diffuderunt. Adeo quidem rapide ſerpſit et progreſſus eſt, ut intra quadriennium pleraſque Europae regiones inde fuerit pervagatus.

Cum primum ſeſe oſtendit, ſumma violentia ſaeviit, et virtutem artis Apollineae ex toto ſpernere viſus, ſaepe quidem laethalis, quod medici in quamnam medendi viam proceſſiſſe debuerint ignorarunt. Ratio vero eum depellendi neminem fere hodie latet, quanquam adhuc pro hoſpite admodum ingrato habetur.

Hic morbus, niſi ei mature occurratur, ſpatio brevi in primis formidabilis evadit, humores

cor-

corrumpit, ſolida conſumit, et ſummam pulchritudinem horribili deformitate mutat, in mortem omnibus votis exoptandam ad extremum deſinens. Hoc vero ſeculo noſtro rarius incidit, non quod morbus priſtinam gravitatem depoſuit, ſed quod non citius invadit, quam aegrotus ad medicum vel medicamenta decurrit. Nihil enim uſu mercurii notius.

Acerrime apud medicos fuit certatum, utrum gonorrhoea et lues pro uno eodemque morbo, vel pro diverſis, debeant haberi. Quae argumenta vero ſubſequuntur, ea, judicio noſtro, ſatis demonſtrare videntur, hanc et illam, uti hodie vulgo creditur, unum morbum tantum conſtituere. Omnia argumenta, quae opinionem contrariam ſuffulciendi conſilio in medium fuerunt prolata, ſilentio praeterire decrevi.

Exempla non deſunt, ubi eadem foemina unum e duobus viris gonorrhoea, et alterum lue fuit impertita. Quinetiam virus ab ulcuſculo profluens, urethrae admotum, gonorrhoeam excitavit. Monroius illuſtriſſimus quoque affirmat, ſe gonorrhoeam, bubonem, et hunc rurſus faucium exulcerationem, facere notaſſe. Hoc in caſu cum affectus gutturis ſubfuerit, quin gonorrhoea luem inveteratam excitaverit nequit dubitari. Inſuper gonorrhoea luem ſine bu-

bone

bone movere poteſt, exempli gratia, cum ulcus in urethra oritur; namque virus muco urethrae admiſtum ante mitius reddi poteſt, quam abſorbetur, vel, ut in aliis caſibus incidere ſolet, per glandulam tranſire valet, nullum bubonem progenerans. Rogari quidem poteſt, cur virus, quod in gonorrhoea urethrae conſtanter applicatur, ulcuſcula non ſemper exſuſcitet? Hanc vero quaeſtionem, contra, proponere liceat, cur unum ulcuſculum multo plura non ſemper movet? Hoc nonnunquam accidit, quanquam intra paucorum dierum ſpatium, quot ulcuſcula quilibet aegrotus habebit, pro certo fere plerumque ſtatui poteſt, et virus nihilominus ex illis profluens glandi conſtanter admovetur. Non ulcus urethrae in omni gonorrhoea adeſſe contendo; ſed in urethra, quae muco defenditur, bubonem non facile ſine ulcere incidere poſſe. In exemplis communibus levioribus, ubi in idoneam medendi rationem fuit proceſſum, membrana tantum irritatur, et aliquantum inflammationis ſubit, et mucus colore et ſpiſſitudine aliqua ex parte mutatur, quod, viro per urinam frequenter abluto, et quantitati muci, qua partes defenduntur, magnae tribuendum. Si vero gonorrhoea aliquandiu manſit, non rite curata,

et

et in irritabilibus ſemet oſtendit, non eſt cur exulcerationem incidiſſe neges. Rem ita ſeſe habere omnia probant ; ut caetera omittam, dolor, quem nunquam non queritur aeger, non laevis, loco certo magna ex parte circumſcriptus, et per preſſuram externam parti laboranti applicatam adauctus. Non parum ſanguinis in gonorrhoea excerni vidi. Quamvis Morgagnius nihil exulcerationis in gonorrhoea oriri affirmat, e caſibus tamen, quos depingendos curavit, longe alia concludere licet. Namque ſe contractiones certis in exemplis, et cicatrices et multos ductus mucoſos extinctos, offendiſſe fatetur ; immo cicatrices pro ſignis ulcerum antecedentium habet. Quinetiam Monroius illuſtriſſimus penem praeparatum rei anatomicae ſtudioſis oſtendit, ubi notae eroſionis et exulcerationis in partibus urethrae a glande maxime diſſitis reperiundae ; et fiſtulas non tantum membranarum urethrae, ſed omnium penis membranarum a gonorrhoea oriri videmus.

Ulcera ſubeſſe, et nulla tamen eorum ſpatio brevi veſtigia manere poſſunt. Experientia quotidiana teſtatur, ulcera faucium venerea nullas omnino notas poſt ſeſe non raro relinquere. Inſuper, portiunculae linguae non tantum regeneratae

ratae fuerunt, ſed papillae etiam formatae. Igitur nihil obſtare videtur, quin ulcuſcula adeſſe, et nulla ſui veſtigia relinquere poſſint. Hoc autem in urethra facilius eveniet, quae muco humectatur, et non aëri, qui ad cicatricem duram efficiendam non parum conferret, objicitur. Haud dubie Monroio doctiſſimo fides habenda, qui in praelectionibus ſuis memoriae prodit, ſe in urethram ſpecillo patefactam inſpicientem abſceſſus, qui ulcuſcula redderent, plane vidiſſe.

HISTORIA MORBI.

Prima morbi ſigna in parte, cui virus fuit admotum, plerumque apparent. Prius gonorrhoeam, deinde luem, exequar.

Circa diem ab impuro coitu quintum, ſextum, ſeptimumve, plerumque ſe primum oſtendit. Modo ſpatio viginti quatuor horarum, et modo, quod rarius quidem ſolet incidere, non ante tres hebdomadas, longiuſve tempus praeteritum, accedit. Sub ipſum initium, titillatio admodum lenis, potiuſque grata circa partes genitales ſentitur, quam calor moleſtiaeque ſenſus, una cum

modica glandis inflammatione, praeſertim ſub oſtium urethrae, quod aliqua ex parte tumidum ſolitoque apertius eſſe videtur, excipiunt. Brevi, poſtquam haec ſigna ſe in conſpectum dederunt, ſpatio, excretio materiae tenacis incipit, quae urethrae parietes propemodum conglutinat, et quantitate non parva exprimi poteſt. Haec copioſior et magis alba et craſſa evadit, inflammatio circa urethram extremam evidentior fit, et nonnihil doloris inter urinam reddendam ſentitur. Ex hoc tempore urethra tenſa et durata evadit, et, glandulis exiguis intra eam tumefactis, penis quaſi conſtrictus eſſe videtur, potiſſimum erectus. Quod excernitur, id nunc colorem flavum vel ſubviridem ſibi aſſumit, quantitate augetur, et tenuius, at non tenacius, redditur. Rubor manifeſtus urethram extremam conſtanter tenet, et dolor calorve, qui excretionem urinae comitatur, adeo intenditur, ut aegrotus eam reddere fere reformidet. Humor excretus modo tenuiſſimus eſt, modo ſanguine tingitur, omnia inflammationis ſigna augentur, et aegrotus ſtranguria incipit conflictari.

Inflammatione ne urethra diſtendatur cavente, penis erectus deorſum inflectitur, ſignumque, quod *chordee* appellatur, conſtituit. Dolor autem

tem hoc comitans, pene abdomen verſus elevato, augetur. Ægrotum in lecto calefactum potiſſimum infeſtat, ſomnum ſaepe arcens, et ſeminis excretionem nonnunquam faciens. Cum haec ſigna apparuerunt, morbus acmen ſuam attigiſſe dicitur; ſed tempus, quo hoc accidit, non parum variare ſolet; gonorrhoea enim nonnunquam, niſi una, duabus, tribuſve hebdomadis circumactis, non conſiſtit.

Hunc in modum increſcere pergit inflammatio, ſed citius ſeriuſve curationem naturalem recipit; ſecretio enim muci adaucta virus venereum, cum primum formatum eſt, abluit, donec tandem e corpore ex toto expellitur. Dum hoc perficitur, ſigna in aliquantum temporis prorſus immutata manent. Poſtea gradatim decreſcunt. Tentigines rariores minus doloris movent, inflammatio minuitur, et excretio urinae minore dolore ſtipatur. Quod ex urethra profunditur, id gradatim decreſcit et magis album tenaxque evadit, modo copioſius, modo parcius ſecretum. Excretio tandem ceſſat, et ſigna inflammationis magis magiſque levia reddita aegrotum relinquunt, partibus morbo affectis vigori et ſanitati reſtitutis.

Temporis

Temporis ſpatium, per quod haec ſigna manent, etiam curatione idonea adhibita, variat. Morbus decurſum ſuum ſex hebdomadis aut circiter plerumque abſolvit. In nonnullis autem exemplis per menſes, aliquando per annos, pergit, et excretio parcior, craſſior, et magis alba evadit, modicaque tantum inflammatione ſtipatur, ad extremum ſponte ſua plerumque ceſſans. Cum haec, reliquis ſignis ſublatis, manet, fluxum muci fere perpetuum, vel quod Anglice *gleet* appellatur, conſtituit, qui non tantum moleſtiae, quantum nonnulla alia ſigna, aegrotantibus faceſſit.

His autem annumerandae ſunt phymoſis et paraphymoſis, quae quidem haudquaquam ſunt inuſitatae. Illa eſt inflammatio praeputii, dum glandem tegit, ob quam retrahi nequit. Haec praeputium retractum adeo afficit, ut glandis operiendae non poſſit produci. Harum igitur diſcrimen a ſede praeputii tantum pendet. In utroque caſu, ulcerationes vel eroſiones plerumque incidunt, et non parum periculi eſt, ne gangraena et ſphacelus ob ſtricturam inflammatione adauctam oriantur.

Inflammatio teſticulos in gonorrhoea ſaepe invadit, ſi in pravam medendi viam fuit proceſ-

ſum, ut cum, exempli gratia, per liquores adſtringentes et irritantes in urethram immiſſos, fluxus repente cohibetur. Si haec accedit, teſtis tumeſcit, calidus, dolens, durus, et ruber evadit; et quod ex urethra excernitur, id plerumque interim minuitur. Quam ob rationem, a viro venereo ad teſticulos tranſlato proficiſci fuit exiſtimata. Tumor et durities, aliis ſignis depulſis, ſaepe diu manent. Inflammatio veſicae nonnunquam incidit, et urina frequenter, et non ſine dolore, excernitur, vel iſchuria oritur. Perinaeum quoque inflammatione aliquando afficitur. Omnia autem hujuſmodi ſigna ab exercitatione violenta, nimia preſſura, aliiſve, quae vim ſtimulantem habent, plane proficiſcuntur.

Cum gonorrhoea diu infeſtavit, ut verrucae plerumque partium externarum, ſed nonnunquam internarum etiam, oriantur facit. In exemplo poſteriore urina ſaepe fluento duplice, et non ſine gravi dolore, redditur. Nonnunquam quoque ſtrictura urethrae progeneratur, et urina cum dolore acuto, vel rivulo contracto, vel guttatim, excernitur.

Cum morbus diu manſit, perperam fuit curatus, et in irritabilibus ſe oſtendit, vel cum inflammatio ulla ratione fuit adaucta, vel mucus viro

viro imbutus praeputium inter et glandem diu ſtagnare permiſſus, ulcera oriri, virus abſorberi, et lues inveterata excitari poteſt. Proximum vero eſt, ut alteram morbi ſpeciem, quae vulgo lues ſyphiliſve appellatur, deſcribam.

In parte plerumque, cui virus fuit admotum, primum oritur inflammatio levicula, eryſipelatoſa, pruritu ſtipata; deinde una, duae, pluresve papulae rubrae, calidae, acuminatae, humore pellucido repletae, quarum apices magis albi gradatim evadunt, et rupti parvulam ichoris puri, qui nonnunquam tenuis et aqueus, nonnunquam craſſior et ſubflavus, quantitatem effundunt. Ulcus tandem formatur, quod eroſione labiorum ſemet undique ſpargit, aliquando dolens, plerumque inflammatum, tactus impatiens, marginibus calloſum et tumefactum, colore cinereum, nonnunquam cruſta albida, obtectum, fundo inaequale et curatu difficile. Hoc autem eſt quod ulcuſculum appellatur. Quod, licet caput aciculae ſub initium non exceſſerit, ad magnitudinem ſolidi dimidii ſemet diffundere vidi. Si morbus, quod rarius incidere ſolet, ab ulcere urethrae, ſine gonorrhoea, incipiat, pars laborans tacta dolet, et evacuandi urinam deſiderium urget, quae, dum excernitur, et etiam ex-

cretione

cretione ſinita, dolorem, in parte certa quam alibi, acutiorem, movet. Haec ſigna autem humoris tenuis et aquei deſtillatione ſtipantur. Si virus ulceri vulnerive applicetur, ſpecie quam prae ſeſe ferebat brevi mutata, ulcus vulnuſve ulcuſculum venereum reddere incipit.

Si pueri a matribus fuerint infecti, in iis recens natis, ſub forma inflammationum cutis, gonorrhoeae, &c. morbus ſeſe oſtendit. Nonnunquam in aliquot a partu ſeptimanas non apparet, quamvis plerumque octo decemve diebus maculae lividae in natibus et teſtibus ſe in conſpectum dare ſolent, vel faciem eruptio et os aphthae invadunt, papillae nutricis afficiuntur, et ulcera ei in faucibus, et bubones aliquando in glandulis axillae, oriuntur.

Si virus ab ulceribus, ubicunque ſint ſita, abſorbeatur, ad glandulam proximam lymphaticam devehitur, et ejus, dum per eam tranſit, inflammationem movet, duritiem et dolorem, preſſura adhibita, faciens. His increſcentibus, rubor cutis, et magnus, corpore dimoto, dolor, cum reliquis inflammationis ſignis, accedunt, et ita bubo formatur. Modo rapide, modo tarde, in morem aliarum inflammationum glandulas occupantium, ad ſuppurationem pervenit. Quibuſdam

buſdam in caſibus ſchirro, rariſſime gangraena, ſinitur; ſed non rite curatus, ulcera ſanatu difficilia poſt ſeſe ſaepe relinquit.

Lues inveterata plerumque in parte, cui virus fuit applicatum, per exulcerationem et eroſionem, quas, uti ſupra comprehenſum, facere ſolet, antequam ullum detrimentum cepit ſyſtema univerſum, detegi poteſt. Caeterum, ſine ullis hujuſmodi notis, ſyſtema ſanguiferum ingredi poteſt. Illuſtris etenim Monroius, in praelectionibus ſuis, tradit, ſe quinque vel ſex bubonum exempla, ſine ulla gonorrhoea, dolore inter urinam reddendam, vel praeputii glandiſve ulcere, notaſſe. Nec probabile eſt, ullam exulcerationem, quae fuerat ſanata, unquam extitiſſe; nam materia adeo acris apertam, ut in variola incidit, pro certo fere ſervaſſet. Hinc igitur apparere videtur, virus ſine eroſione vel ulcuſculo poſſe abſorberi. Caeterum non diffitendum, exempla hoc genus admodum eſſe rara.

Cum virus per glandulas inguinum tranſiit, diverſa lumborum vaſcula lymphatica et glandulas petit. Qui igitur ſit, ut bubones in hiſce glandulis quoque non oriantur? Hoc aliter explicare non poſſum, quam quod lympha ab artubus inferioribus aſcendens, virus, quod a parti-

bus

bus genitalibus fuerit profectum, mitius ſemet ei admiſcendo reddit. Nihil obſtat, quo minus virus in uno exemplo, quam in alio, acrius eſſe ponamus; cum luem inveteratam, modo cum modo ſine bubone, oriri videamus. A vaſculis lymphaticis lumborum et glandulis virus in ductum thoracicum, et inde in maſſam ſanguineam, tranſit.

Non breve temporis ſpatium ante praeterire neminem fugit, quod quidem aliis in corporibus, ob rationem victus et viri indolem, aliud eſt, quam cum humoribus immiſtum effectus in corpus manifeſtos edit. Modo uno duobuſve, modo tribus quatuorve, menſibus ſemet oſtendit, et in annos, immo nonnunquam in aeternum, iners manſiſſe memoriae prodiderunt auctores, quibus tamen haud temere fides habenda. Intra duos treſve menſes plerumque in conſpectum ſeſe dat. Cur tam ſero ſe manifeſtet, rationem reddere difficile. Plus minuſve vero ejuſdem difficultatis in omnibus exanthematis reperiundum. An explicatu facile eſt, cur puer, cui pus varioloſum fuerit inſitum, non, ante ſpatium hebdomadae aut circiter finitum, aegrotet? Virus in maſſa ſanguinea, in morem alius materiae contagioſae, multiplicatur; quomodo vero pro-

ceſſus

ceſſus fiat, ignoro. Deinde inflammationem et exulcerationem in aliqua corporis parte, ſaepiſſime in membrana mucoſa cuteve, facit.

Si in faucibus, quod ſaepius accidit, appareat, in amygdalis plerumque, potius quam in uvula velove pendulo palati, ſedebit, membranam hiſce partibus circumdatam inflammatione afficiet, et ulcera cum raucedine, dolore, et difficultate devorandi, &c. movebit. Ulcera ſemet diffundentia oſſibus cariem inferunt, et palatum conſumunt, fauces et naſum in cavum commune vertentia, et fabricam hujus ex toto perdentia. Si fauces affectu vacent, morbus in membrana narium ſemet oſtendit, et in aliis exemplis, quae inuſitatiora ſunt, linguam, gingivas, vel labia occupat. Monroius illuſtriſſimus refert, ſe duodecim linguae exempla vidiſſe, quae pro cancro habita, ſed venerea mercurio ſublata ſunt, et duo gingivarum, ubi gingivae dentium inciſorum eo uſque affectae fuerunt, ut aegrotus, qui medecinae ſtuduerat, morbum ſcorbutum potius, quam luem, eſſe crediderit.

Si cutem corripiat, prius circa radices capillorum, deinde in aliis corporis partibus, ſub forma macularum ſubrubarum purpurearumve, vel eruptionis cum cruſtis colore cinereis, ſubfuſcis,

ſuſcis, quae in ulcera ſaepe vertuntur, apparet. Nonnunquam in oculos impetum facit, inflammationem et exulcerationem cum caecitate progignens. Cum in aures invadit, quod aliquando incidit, eadem inflammationis ſigna moventur, quanquam minus frequenter, ſurditati oſſiumque cariei adjuncta.

Denique, ſi morbus inveteraverit, perioſteum et oſſa ipſa afficiuntur. Hoc quidem opinioni Boerhaavianae omnino contrarium eſt, qui medullam primum affici exiſtimavit, quod unica hujuſce morbi antitodus mercurius adipem conſumit. Res vero longe aliter ſe habet, perioſteum enim primum, deinde oſſa, et poſtremo medulla, afficitur. Immo morbus tantum abeſt, ut medullam primum corrumpat, ut contra, in partes oſſium, qualia ſunt extremorum et capitis propria, medias et duriſſimas plerumque invadat, dum alii morbi oſſium fines infeſtare ſolent. In perioſteo et oſſibus affectis dolores oriuntur, qui aegroto in lecto calefacto plurimum moleſtiae faceſſunt, et paroxyſmo febrili veſpertino, qui eos adauget, ſtipantur. Sudor mane verſus prorumpens eos rurſus levat. Perioſteum tumet et dureſcit. Oſſa ipſa aliquando turgent. Par-

tes

tes eorum mediae et duriſſimae nonnunquam molles et carioſae fiunt, et, medulla abſumpta, admodum fragiles evadunt. Aliquando, priuſquam virus in ſyſtema ingreſſum eſt, vel aliquo alio morbi tempore, tumores glandis, praeputii, labiorum pudendi, ani, &c. oriuntur, vel ubi ulcera fuerunt, vel ubi nunquam apparuerunt, figura diverſi, plerumque rubri et molles, interdum duri et calloſi, raro dolentes.

Alii vim morbi in complures annos tolerant, alii intra ſpatium breve eo conſumuntur, ad extremum febri hectica vel hydrope extincti.

Signa muliebria virilia tantopere reddunt, ut ea percurrere haudquaquam neceſſarium eſſe videatur.

Quae Signa hunc Morbum ab aliis ſecernunt.

In maribus, gonorrhoea virulenta a ſpecie miti hoc modo ſecernitur, quod ab impuro coitu proficiſcitur, quod contagio eam vulgat, quod excretio multo copioſior, et quod ſigna inflammationis, ut calor urinae, tentigo, &c. multo graviora ſunt.

Non difficulter a morbis renum, ureterum, veſicae, in quibus excretio ſubeſt, quae gonorrhoeae propriam nonnihil reddit, diſtinguitur, quod in his materia cum urina tantum excernitur, in gonorrhoea, contra, ſtillicidium humoris conſtanter pergit, cui calor urinae et alia inflammationis ſigna adjuguntur.

Gonorrhoeam a leucorrhoea diagnoſcere difficillimum eſt. Sub initium diſtingui poſſunt, quod gonorrhoea ardore urinae, tumore et inflammatione labiorum pudendi et vicinarum partium, ſaepe levi exulceratione et eroſione, et dolore inter coeundum, ſtipatur. Omnia autem haec ſigna in leucorrhoea raro ſemet oſtendunt. Inſuper, plus minuſve doloris lumborum habet, qui recentem gonorrhoeam nunquam comitatur. Per ſtadia provectiora diagnoſis difficilior. Caeterum, ſi ſatis curae adhibeatur, morbi a ſe invicem poſſunt ſecerni. Namque ſigna, in hiſtoria ſupra tradita, quae ante excretionem gonorrhoeae propriam ſemet oſtendere diximus, leuchorrhoeam nunquam praecedunt. Deſtillatio quoque humoris in gonorrhoea, quam in leucorrhoea, minus copioſa eſt, et non iis ventriculi vitiis, vel magnae corporis

poris debilitati et relaxationi, quae leucorrhoeam comitantur et antecedunt, adjungitur.

Si ulcera, quae utrique morbo communia ſint, in vagina oriantur, notae luis inveteratae, ſi morbus ab impuro coïtu fuerit profectus, brevi ſemet in conſpectum dabunt. Si morbus, contra, leucorrhoea ſit, nullae hujuſcemodi ſequelae timendae. Si morbus, quod nonnunquam incidit, ſubſit uterque, nullo modo poſſunt diſtingui, niſi aegrotae, ut verum ingenue fateatur, poſſit perſuaderi.

Ulcuſcula venerea, quae a coitu impuro profluxerunt, et per ſedem et ſigna ab ulceribus aliunde natis non difficulter ſecerni poſſe videntur. Partes genitales, labia, et loca vicina, papillas mammaſque muliebres, ubi ulcera, ſaltem ſerpentia, ſemet rarius oſtendunt, occupare conſuerunt. Papulas, ſub initium, quae in miliaria oriuntur, referunt, brevi eminentiora evadunt, et parvas veſiculas formant, quae ruptae modo humorem tenuem et aqueum, modo materiam craſſiorem et flavam, effundunt. Marginibus plerumque dura ſunt et dolent, et partes vicinas erodendo ſemet undique diffundunt.

Quantum ulcera ſpectat, quae a lue inveterata proficiſcuntur, ab aliis omnibus ſatis aperte diſtinguuntur.

ſtinguuntur. Super oſſa, ea potiſſimum quae muſculis tenuiſſime ſunt obtecta, ſolent ſedere, marginibus inaequalia, et quaſi denticulata, nec non ex aliqua parte calloſa. Speciem non raro admodum ſingularem prae ſeſe ferunt, in formam quaſi calicis excavata, fundo plerumque anguſta et contracta, marginibus gradatim ſe dilatantibus, donec ad oram extremam uſque perveniatur. Res ſaltem plerumque, niſi oſſa carioſa ad fundum ſint ſita, ita ſeſe habet. Non doloris habent, hoc a cancris diſcrepantia, qui calore ardente et doloribus lancinantibus ſtipari ſolent. Nonnullis tamen in exemplis res ſe aliter habet. Quod ex omnibus hujuſmodi ulceribus profunditur, id prius tenue eſt, deinde ad extremum magis tenax et viſcidum, quam pus bonum et laudabile evadit, colore ſingulare et ſubviridi-flavum, odorem perquam gravem, a foetido putridoque vulgari tamen differentem, emittens.

Bubones ab aliis tumoribus hunc in modum poſſunt diſtingui. Si a fonte venereo proficiſcantur, glandulas inguinum ſuperiores, contra, ſi cancer artus inferiores invaſit, inferiores tenent, quod hae parti laboranti ſunt propiores. Aliquando vaſcula lymphatica a pene ad ingui-

na aſcendentia indurata ſunt, et digitis per totum ſuum decurſum plane ſentiri poſſunt. Si vero nullus extremorum affectus ſit, pro venereis haud dubie ſunt habendi, ſi aegrotus contagioni fuit objectus, ſi gonorrhoea, praeſertim ſi ulcuſcula, quae venerea magnopere retulerunt, praeceſſerunt.

Qui dolores a lue oriuntur, ii a rheumaticis arthriticiſve facile dignoſci poſſunt. Namque venerei medias et ſolidiſſimas oſſium partes occupant, et eos vel praecedunt vel comitantur alia morbi ſigna. Rheumatici ab externa et plerumque evidente cauſa proficiſcuntur. Fere frigidi curſum muſculorum ſequi amant, et artus majores infeſtant. Eos febris ſemper praecedit, aliquando comitatur. Febre abſente, calore lecti vel alio externo levantur, ſed venerei calore lecti augentur. Arthritici per intervalla affectionibus ventriculi ſtipantur, artus minores invadunt, et a labe haereditaria profluunt.

Morbus

Modus quo Contagio Syſtema ingreditur, et Cauſae Morbi.

Cum morbus venereus in Europa primum ſeſe oſtendit, ſemet contagione, ſine coitu, vulgare exiſtimatus eſt. Quod non aliunde potuit oriri, quam hinc, quod aegroti peccatum ſuum celare, et infamiam tam foedi morbi contracti vitare, voluerunt. Non deſunt hodie, qui, licet in primis ſit ridiculum, plane et haud dubie infecti ſe morbum ſine coitu accepiſſe affirmant.

Nihil vero hodie notius eſt, quam quod neceſſe eſt ut virus venereum corpus prius contingat, quam ullum omnino in id effectum edere poteſt. Immo, nonnullis cutis partibus quantitate etiam non parva admotum non nocet, ut exemplum chirurgorum, qui ulcera venerea impune contrectant, quotidianum evidentiſſime docet. Caeterum hiſce partibus applicatum, ubi cutis vera tenuis eſt et cuticula leviter tantum obtegitur, ut glandi penis, labiis pudendi vel ori, in corpus, licet nullum ulcus in parte oriatur, per oſtia vaſculorum abſorbentium lymphaticorum ingredi poteſt; bubonem enim, nullo ulcere

cere antecedente, excitari videmus. Res vero aliter plerumque ſeſe habet; nam inflammationem et ulcus ſaepiſſime movet, unde virus abſorbetur.

Unica tantum, nempe coitus impurus, ratio eſt, qua gonorrhoea alicui poteſt inferri. Lues vero duobus modis potiſſimum excitatur. Virus venereum per infectos parentes cum tenero embryonis corpore, dum in utero formatur, communicari poteſt, et, hoc in exemplo, morbus a labe haereditaria proficiſci dicitur. Vir celebris Dr Hunter puerum, dum per vaginam tranſibat, infici exiſtimavit; huic vero opinioni infans protinus a partu morbo laborare ſaepe notatus ex toto adverſari videtur. A contactu quoque, cujus ſunt genera diverſa, frequenter oritur. Nutrix puerum, puerve nutricem, ſuctu inficere valet, et, quod nutrici vitio verti debet, parentibus falſo ſaepe tribuitur. Ab oſculatione quoque profluere poteſt. Aliquis, exempli gratia, cui ulcera venerea in ore aut faucibus, velut in uvula, tonſillis, vel in labiis linguave ſint, morbum cum amica, eam multum et diu exoſculando, communicare poteſt. Namque ſaliva nonnihil materiae purulentae, quae ab ulceribus manat, continens, labiis applicata, morbum

pro

pro certo movebit. Exemplum hujuſmodi novi, ubi ulcera intra labia ſuborta ſunt. Aliae quoque rationes non deſunt, quibus morbus fuit excitatus; ſed eas, cum rariſſimae ſint, percurrere non neceſſarium eſſe videtur.

Nemo inficiabitur, alios aliis ad hunc morbum eſſe procliviores. Quidam, veneri in primis dediti, morbum in multos annos ex toto effugerunt, quanquam mulierum eo laborantium notitiam ſaepe habuerunt, quae brevi poſtea alios infecerunt. Nonnulli quoque ſunt, qui rem cum impura non citius habent, quam in morbum incidunt, et ita forſitan venere in multos uniuſcujuſque anni menſes abſtinere coguntur. Quidnam alium alio ad morbum proniorem efficiat, explicatu non facile. Cuticula forſitan tenuior, quae abſorptioni magis amica eſt, in cauſa eſſe poteſt. Nonne poteſtas abſorbendi in aliis, quam in aliis, major eſſe poteſt, unde virus ſyſtema facilius ingredietur, vel irritabilitas corporis praeter conſuetudinem magna eſſe, quae, ut virus inflammationem et alia morbi ſigna citius excitet, faciet?

Quae cauſa hunc morbum conſtanter excitat, ea eſt virus venereum, cujus natura haud ſatis intel-

intellecta eſt. Acrimonia autem hujus, unde omnes luis venereae notae oriuntur, pro cauſa proxima habenda.

Nonnullorum e Signis Explicatio.

Quod ex urethra excernitur, id ſemen eſſe exiſtimatum fuit; ſed rem aliter ſeſe habere omnes hodie confitentur. Excretio quoque materiae purulentae ab ulceribus in urethra profluenti fuit tributa. Haec vero opinio hodie quoque repudiata. Haud dubie per ulcera urethrae augeri et diuturnior reddi poteſt; ſub initium vero ab his proficiſci nequit, quoniam ſpatio viginti quatuor horarum poſt coitum interdum accedit. Nec tanta quantitas, quanta ſolet excerni, ab uno duobuſve parvulis ulceribus profluere poteſt. Inſuper, ſi ulcera urethrae ſubeſſent, virus abſorberetur, et ſigna luis excitarentur. Cadaveribus autem inciſis, in exemplis pertinacibus tantùm et iis, quae longum ſpatium habuerunt, reperta fuerunt.

Excretio a vi ſtimulante viri venerei, ſuperficiei urethrae internae admoti, oritur, quod, ſi ex effectibus ejus liceat judicare, naturam admodum acrem habet. Cum quaelibet corporis

pars ſtimulo inſolito afficitur, eam verſus ſemper fit impetus humorum adauctus, ut in exemplo turpethi mineralis, vel cujuſlibet alius ſtimulantis ſuperficiei narium interiori, vel acrium oculis admotorum, vel actionis purgantium, &c. videre licet. Curſus humorum, ut modo poſitum, ob irritationem ad partem affectam fit, glandulae ſtimulantur et ſecretio adaucta movetur. Si augetur ſecretio, praeter conſuetudinem quoque acris evadit, ut in corryza, ubi nonnunquam adeo acris eſt, ut labia erodat. Ita virus venereum urethrae applicatum ſecretionem muci naturalis adauctam et praeter naturam acrem facit.

Tota urethrae membrana, ut univerſa membrana fauces ſuccingens in catarrho, non ex aequo afficitur, ſed partes ſingulares potiſſimum laborant. Dolor prope extremam urethram incipit, et ibi potiſſimum ab aegroto ſentitur. Externa preſſura, vel ſpecillo in urethram introducto, augetur. Cum morbus ulterius progreſſus eſt, affectus, etiamnum certa parte circumſcribi videtur, ut liquoris irritantis in urethram immiſſi effectus, et aegroti, dum urinam reddit, ſenſus notati demonſtrant. Si, preſſura digitorum adhibita, ut gradatim progrediatur facit, parum doloris, donec ad partem affectam perveniat,

niat, ſentit. Quinetiam ut morbus pergit, ita affectus urethrae, non forſitan in omnibus, quotquot ſunt, exemplis, radicem ejus verſus gradatim ſeſe diffundit. Quod rem ita ſe habere probat, eſt hoc, quod tumorem teſticulorum, utcunque gravis ſit morbus, ſub initium raro oriri videmus, quoniam inflammatio ductus ſeminiferos, antequam hoc incidere poteſt, attingat neceſſe eſt. Denique, ſtricturas, et exulcerationes nonnunquam, fieri notamus, quae affectum loco proprium ſubfuiſſe plane evidenterque teſtantur.

Nihil eſt quod poſſit probare, glandulas urethrae mucoſas multum capere detrimenti. Monroius illuſtriſſimus opinatur, gonorrhoeam, quod corpus hiſce glandulis inſtructum eſt, mortalibus multo minus nocere. Igitur tantum abſunt ut morbo ſedem, ut nonnullis placuit, praebeant, ut, contra, mucum viri abluendi effundant, unde inflammatio minuitur, et morbus curationem naturalem recipit.

Qua ratione virus urethram intret, hic exponere non alienum eſſe videtur. Alii alia ſuper hac exiſtimaverunt. Nonnulli glandem, in morem ſpongiae, virus abſorbere, et id per poros ſuos tranſire, permittere finxerunt, quod

primo

primo etiam intutitu admodum improbabile eſſe videtur, ob membranas intercedentes, ſubſtantiam glandis cellulоſam et ſanguinem ibi effuſum. Alii putaverunt virus, lymphatica abſorbentia ingreſſum, in urethram tranſire, quod fieri nequit. Namque, ſi haec vaſa ingrediatur, ad glandulas inguinum recta, et eodem modo, quo ulcuſculi proprium, cum bubonem movet, devehatur oportet. Non enim eſt, cur venas abſorbentes per cellulas penis tranſire, et in urethram deſinere, putemus. Alii maſſam ſanguineam univerſam affici, et virus per membranam urethrae e corpore expelli crediderunt; quod procul dubio falſum. In quam ſententiam omnes fere iverunt, ea eſt, virus in urethram extremam intrare. Igitur proximum eſt, ut modum, quo in hunc canalem ingrediatur, exponam. Nonnulli opinati ſunt, per urethram ipſam eundem in modum abſorberi, quo aqua oleumve inter duas planas ſuperficies vitreas, vel in tubis capillaribus, ad certam altitudinem attrahitur. Caeterum non opus eſt, ut huic opinioni aſſentiamur, quoniam ea, quae ſubſequitur, multo magis probabilis eſt, et a pleriſque hodie recipitur. Aliquantum muci e pene, dum tentigine afficitur, extremo exprimitur, cui virus adhaeret, quod cellulis depletis, et pene rurſus

col-

collapſo, intra oſtium urethrae locum ſibi reperit, quae nunc flaccida retrahitur. Hoc modo virus in urethram invehitur. Quod fidem huic opinioni facit, eſt hoc, quod nonaginta novem e centum, qui in hunc morbum incidunt, dolorem ſub penem extremum, quartam digiti partem aut circiter ultra oſtium urethrae primum queri notamus. Inſuper, ut ſupra fuit comprehenſum, affectus in gonorrhoea urethrae radicem verſus gradatim ſerpit, et ſub initium teſticuli raro tumeſcunt. Ita in primis probabile eſſe videtur, mucum virus in urethram, cui poſtea ſtimulo eſt, devehere.

Quod ex urethra profunditur, id, viro expulſo, fluere ſaepe pergit, et non raro difficillime tollitur. Quod ab hoc forſitan pendet: Si impetus humorum ad ullam partem ſemel fuerit factus, ei in poſterum aegre obſiſtetur, quod vaſa ſanguifera nimis tenſa et relaxata congeſtionem facilius renovari patientur. Hujus autem exempla quotidiana praebet ordo haemorrhagiarum Cullenianus. Ita in gonorrhoea atonia procreatur, et curſus humorum inde oriens ejuſque ſequelae ſublatu difficilia evadunt. Rem quoque ita ſe habere curatio, quae tonicis ſimilibuſque perficitur, abunde teſtatur.

Tumor teſticulorum, qui frequenter accedit, ab aliis aliter fuit explicatus. A celebri Aſtruc

et

et aliis a materia morbifica ad teſticulos tranſlata pendere exiſtimatus eſt. Haec opinio forſitan hinc profecta eſt, quod excretionem gonorrhoeae propriam pro ſemine habuerunt, et excretio, teſticulis tumeſcentibus, ceſſans, haud dubie ut in hanc ſententiam lubentius concederent faceret. Ubi vero ſunt vaſa ductuſve per quos materia morbifica poteſt tranſire? Si abſorbentia ingrediatur, ad glandulas inguinum deferetur; namque abſorpta longe alio, quam ad teſticulos, devehetur. Praeterea, cum ſanguis univerſus ea vitiatus et corruptus eſt, teſtes non magis, quam aliae partes, afficiuntur. In lue, quae inveteravit, tumore corripi poſſunt; ſed exempla hujuſmodi admodum rara ſunt, et, cum incidunt, tumor aliter, quam in exemplo quod in praeſentia exequimur, et incipit et finitur. De hoc vero poſtea differetur. Alii materiam morbificam ductus ſeminiferos intrare, et retro movere, affirmant. Nonne vero admodum improbabile eſt, viam ſibi reperire et patefacere poſſe per canales adeo implicatos et flexuoſos?

Hunc nodum autem ſolus expediviſſe videtur celebris et ingenioſus Monroius. Gonorrhoeam et teſticulorum tumorem ab eadem cauſa, irritatione urethrae nempe et inflammatione, proficiſci

contendit.

contendit. Opinionem ejus fundamento quam maxime ſtabili inniti argumenta ſequentia, quibus utitur, plane evidenterque demonſtrant. Si quodlibet irritamentum commune urethrae applicatur, ut calculus deſcendens, teſtes tumere periclitantur. Complura, inquit vir illuſtris, tumoris teſticulorum exempla novi, ubi calculis, vel exulceratione veſicae fuit laboratum. Vir celebris Sharp, in tractatu ſuo de re Chirurgica, dum operationem lithotomicam lateralem depingit, memoriae prodit, teſticulum nonunquam tumere. Si vero tumorem, in exemplis hujuſcemodi, ab irritatione et ejus ſequelis deducere liceat, quid, quaeſo, obſtat, quo minus eadem cauſa eundem in gonorrhoea effectum edat? Haud dubie edit; namque morbus, cum ſponte ſua progrediens membranam urethrae prope oſtia ductuum ſeminiferorum inflammatione affecit, fluxum ſeminis e vaſe deferente extremo ſiſtit, et irritationem per totum ejus decurſum ad teſtem uſque diffundit, unde tumor non oriri non poteſt. Hoc aliqua ex parte illuſtrat quaelibet irritatio oculo orive admota, quae brevi ut curſus humorum ad hoc illumve dirigatur facit, unde ſecretio lachrymarum vel ſalivae adaugetur. Quod vero ſequitur, id omnem, ſiqua ſuperſit, ſuper hac doctrina

doctrina dubitationem tollit. Tumor in vaſe deferente incipit, et ſemet retrorſum per epidydimidem ad teſtem uſque diffundit. Sin autem a viro maſſae ſanguineae admiſto proficiſceretur, glandula ſecernens prius, ductus deinde excernentes afficerentur. Quinetiam, cum tumor ſubſidit, primum in vaſe deferente, deinde in epidydimide, et denique in teſte ipſo, minuitur. Poſtremo, haec opinio hoc non parum firmatur, quod teſticulos ſub initium gonorrhoeae raro tumere videmus, quodque eum, quod ſaepiſſime incidit, per liquores in urethram immiſſos, et ad radicem ejus valide propulſos, facile excitare valemus.

Stricturae urethrae et carunculae, in exemplis gravioribus et diuturnis potiſſimum, nonnunquam ſemet oſtendunt. Illae ab ulceribus praecedentibus, quibus cicatrix fuit obducta, pendent, quae partem vel ſolito anguſtiorem vel prominentiorem relinquunt, ut in partibus externis, eandem ob cauſam, incidit. Hae forſitan a tunica urethrae interna, per morbi longitudinem nimis relaxata et in plicas abeunte, oriuntur, quae tranſitum urinae magis minuſve impediunt. Nonnunquam vero forſitan a tunica modo poſita, craſſiore et duriore par inflammationem

tionem reddita, originem deducere poſſunt. Celebris Monroius eas, in duobus tribuſve exemplis, criſtam galli referre vidit.

Bubones qui, lue adhuc recente, oriuntur, a viro ex ulcuſculo abſorpto, ad glandulam tranſlato, et eam, dum tranſit, irritante et inflammante, pendent. Hi una cum ulcuſculo, ut ſupra fuit comprehenſum, excitari poſſunt.

Exulcerationes et eroſiones partium corporis diverſarum, et laxarum et ſolidarum, acrimoniae viri venerei haud dubie tribuendae. Natura vero hujus mortales adhuc ex toto latet. Igitur non opis eſt noſtrae rationem reddere, cur unam partem, et non aliam, ut fauces et partes oſſium duriſſimas et medias, potius quam fines eorum et partes molliſſimas, ſoleat invadere. Hoc forſitan tandem valebit exponere aliquis auctor ingenioſus, qui in commodum generis humani poſtea orietur.

EVENTUS.

Hic autem in omnibus fere exemplis, ubi morbus non admodum inveteravit, et fabricam

corporis modum in miſerandum corrupit, bonus eſſe ſolet. In nullo vero caſu, utcunque gravis eſſe videatur, ſalus aegroti, ſaltem levamen deſperandum. Ad mercurium igitur, cum aegrotus, licet ſe peſſime habeat, curae medici committitur, ſemper decurratur, in quo, caute et prudenter adhibito, non in delinimentis hiſtrionum, fiducia humana potiſſimum collocanda.

RATIO MEDENDI.

Eundem ordinem, quem ante, ſervabo, prius nempe curationem gonorrhoeae, deinde luis, quam breviſſime potero, exequar. Ante omnia alia vero, pauciſſima de morbo praecavendo tradenda duco.

Cum morbus a viro parti ſingulari applicato proficiſcatur, et ſigna inflammationis in diem unum alterumve non accedant, ratio gravis non deeſſe videtur, cur morbo adhuc venienti occurri poſſe credamus. Quae medicamenta ad hoc accommodari dicuntur, ea apud hiſtriones ſunt numeroſiſſima. Sub ipſum initium, admodum veriſimile eſt, partes genitales tantum aqua calida,

cui

cui ſapo fuit adjunctus, lavare poſſe prodeſſe. Nihil vero ſucceſſus proſperi, niſi protinus ab impuro coitu, ab hacce ratione ſperandum. Liquor hicce, ob alkali quod ſaponi ineſt, pleriſque aliis praeſtat. Non negandum eſt, alkali cauſticum mucum potenter diſſolvere, et in urethram immiſſum per vim ſtimulantem ſecretionem adauctam movere, quae virus abluere poteſt. Hinc id in urethram injicere, parteſque eo lavare, laudata fuerunt, et proſpere frequenter adhibita. Si eo uti decreveris, aqua quantitatem ejus vigeſies aut circiter adaequante diluatur. Quo citius poſt coitum adhibetur, eo melius certiuſque votis ad id decurrentium reſpondebit. Caeterum, non ſine periculo adhibetur, praeſertim ſi uſus ejus fuerit dilatus, donec aliquantum inflammationis acceſſerit, quam graviorem haud dubie efficiet.

Praeparata e mercurio fuerunt adhibita, quae virus corrigere exiſtimantur. Unguentum mercuriale, exempli gratia, partibus genitalibus, ante et poſt coitum, morbum praevertere creditur. Corroſivus ſublimatus eidem conſilio ſubſervire putatur, et, ſi auctoribus fides habenda, in urethram poſt coitum impurum immiſſus morbum non tantum praecavit, ſed eum, poſtquam prima

ſigna

ſigna apparuerant, ſuſtulit. Calomelas, aliud e mercurio praeparatum, in pulverem quam maxime ſubtilem redactum, ex humore idoneo diſſolutum, et in urethram injectum, cum fructu adhibitum eſſe, et non tantum virus gonorrhoeae recentis, ſed provectioris, ſine ullis ſequelis nocivis, extinxiſſe dicitur. Denique, pudenda poſt coitum urina ſimplice lavare eſt praeſidium minime ſpernendum. Facile ſit, et urethram, ſine ullo periculo virus ulterius propellendi, efficaciter purgat. Si partes hoc modo accurate lavatae unguento mercuriali quoque inungantur, ſpes morbum effugiendi multo major affulgebit.

Quamvis gonorrhoea virulenta curationem naturalem aliquando recipit; haec tamen ab arte ſaepius petenda. Conſilia autem huic morbi ſpeciei medendi tria ſunt.

I. Inflammationem tollere vel minuere.

II. Tonum partibus, diuturnitate morbi debilitatis, reddere.

III. Signa, quae caſu accidere poſſint, removere.

Con-

Conſilio autem primo ſequentia reſpondent.

1. *Sanguinis detractio.*—Hic, ut in aliis inflammationibus, miſſionem ſanguinis et univerſam et loco propriam adhibemus. Ad priorem, ſi morbus levis ſit, raro decurritur; ſi vero aegrotus plenitudine laboret, et ſigna inflammationis graviter urgeant, neceſſaria eſſe, et ſi violentia ſignorum poſtulet, reiterari poteſt. Quamvis detractionem ſanguinis generalem raro neceſſariam eſſe vidi; plurimum tamen prodeſt, ſi tentigines ſint violentae, ſi phymoſis vel paraphymoſis accedere periclitetur.

2. *Cathartica.*—Draſticis ſemper caute abſtineatur. Omnis purgatio aliena eſt, quod curſum humorum rectum extremum verſus facit, irritationem urethrae cervicem veſicae verſus promovet; et igitur tumorem teſticulorum et alia mala movere poteſt. Laxantia vero cum commodo adhibentur; at nihil aliud quam alvum bis terve de die moveant. Quod ſi faciunt, ad inflammationem modicam ſervandam ſufficient. Hujus generis ſunt electuarium lenitivum pauxillo ſalis Glauberiani adjunctum, cremor tartari, aliive ſales medii, oleum ricini, manna, et ſimilia. Haec autem non vim laxantem tantum, ſed refrigerantem quoque, habent.

3.

3. *Diurctica.*—Diluentia generalia votis medicorum optime reſpondent, quae ardorem urinae inſigniter levant. Quantitas aquae ſatis larga apte et utiliter poteſt adhiberi. Caeterum eam variis ſubſtantiis, ut hordeo, ſemine lini, &c. quae forſitan efficaciam ejus non nihil augent, imbuere praeſtat. Aliquanto gummi Arabici, ſucci limonum, et pauxillo ſacchari adjuncta et utilis et grata potio eſt. Omnes hae ſubſtantiae, quarum mentionem modo fecimus, quantitatem urinae adaugent, acrimoniam ejus obtundunt, virus ex urethra eluunt, et inflammationi occurrunt. Quod diureticum vulgo adhibetur, id nitrum eſt; urinam auget, et corpus quoque refrigerat. Nimis liberaliter adhibitum ſtimulat, et igitur optime datur cum aliquo potu mucilaginoſo, vel cum gummi Arabico et cremore tartari conjunctum.

4. *Applicationes topicae.*—Lavatio calida et fomenta diligenter adhibita plurimum proſunt. Poteſtate relaxante inflammationem urethrae levant, praeſertim dolorem partium et tenſionem, et ſordes abluendo, eroſiones et exulcerationes inflammatorias, et phymoſin et paraphymoſin, magna ex parte praevertunt. In horam dimidiam

am vel diutius adhiberi, et ter quaterve ſingulis diebus repeti, debent.

Liquores in urethram, ſtadio gonorrhoeae inflammatorio ſubſtante, immittere moleſtiſſimas ſequelas ſecum frequenter adducit; namque, ob magnam urethraeirritabilitatem, inflammationem non augere non poteſt, et virus venereum forſitan in urethram longius impellit. Injectos liquores ſaepe tumorem teſticulorum, et nonnunquam bubones et luem veneream, excitare videmus. Si adhibeantur, natura leniſſimi ſint, quales ſunt mucilago gummi Arabici ſimplex, oleum blandiſſimum, &c. et urethra ſupra partem affectam nunquam non comprimatur, ne virus altius propellant. Caeterum, ſub initium gonorrhoeae, uſum eorum, me judice, omnino ſupervacaneum, efficiunt diluentia copioſe adhibita, de quorum utilitate jam dictum. Nihil denique ad inflammationem compeſcendam melius accommodatur, quam regimen antiphlogiſticum, quod per totum morbi decurſum ſtricte adhibendum, ſed potiſſimum per ſtadium inflammatorium. Inflammatione ſublata, ad rationem victus aliqua ex parte lautiorem decurri poteſt. Nonnulli ſe gonorrhoea laborantes opipare, et ſine incommodo, vivere affirmant. Si vero hoc

ſine

ſine incommodo, non ſine periculo, faciunt. Cibus ſit levis, facile concoquatur, refrigeret, et minime ſtimulet. Potio ſit aquea et mucilaginoſa, et nihil liquoris ſpirituoſi vel fermentati contineat. Exercitatione, venere, et omnibus quae libidinem movere, et corpus animumve ſtimulare poſſunt, abſtineatur. Multi haud dubie, experientia docti, bene noverunt, quantum ratio victus lautior, venus nimia, et alia hoc genus multa, ad omnia gonorrhoeae ſymptomata augenda ſoleant conferre. Qui loco honeſtiſſimo nati ſunt, ii regimen hujuſcemodi, ne modus vivendi mutatus ſuſpicionem paternam maternamve moveat, adhibere reformidant. Hinc gonorrhoeas saepe offendimus, quae multos in menſes manſerunt, quae, regimine idoneo adhibito, paucis hebdomadis ſublatae fuiſſent.

Conſilio ſecundo reſpondent remedia ſyſtemati univerſo, partive ejus ſingulari, admota. Quae autem ſyſtemati univerſo applicantur, ea ſunt cortex Peruvianus, balneum frigidum, alumen, balſamum copaibae, &c. quae in uſu communi ſunt. Remedia parti ſingulari applicanda ſunt injectiones adſtringentes. Hae ex albo vitriolo, ſaccharo ſaturni, aerugine aeris, &c. ſolutis compoſitae ſunt. Opium cuilibet horum adjunctum

optimos

optimos, ut ipſe vidi, effectus frequenter edit. Hoc morbi tempore, nec tonica, nec liquores adſtringentes in urethram immiſſi, nocent, ſed ſaepe utiles, et fere ſemper tuti ſunt, viro expulſo, et omnibus aliis ſignis, praeter excretionem, remotis. Nunc proximum eſt, ut remedia quae tertio conſilio accommodentur percurramus. Signorum autem, quae caſu, ſi ita loqui licet, accedunt, vel partem morbi perpetuam non conſtituunt, praecipua ſunt ſequentia.

1. *Phymoſis et Paraphymoſis.*—In utraque eadem medendi via convenit; quoniam ſitu tantum praeputii inter ſeſe differunt. Remediis parti laboranti applicatis ſanandae ſunt. Sanguis per hirudines detractus eſt remedium praeſtantiſſimum, quod toties reiterari debet, quoties gravitas ſignorum requirit. Cataplaſmata e ſaccharo ſaturni, vel lacte cui panis fuit admiſtus, confecta, partibus conſtanter applicanda et frequenter renovanda. Adhibenda ſunt ſaepe fomenta, ut ſub primo conſilio fuit praeceptum. In phymoſi aliquis liquor mitis modiceque calidus, ut lac et aqua commiſta, vel ſaccharum ſaturni ſolutum dilutius, glandem inter et praeputium frequenter, uti partes mundae ſerventur, et eroſiones et exulcerationes inflammatoriae praecaveantur,

caveantur, immittendus. Hoc in primis neceſſarium eſt gonorrhoea et lue conjunctis.

2. *Tentigines.*—Hae fere ſemper adſunt. A ſenſilitate illa inſigni, quam inflammatio progeneravit, proficiſci merito cenſentur. Eas autem tollendi conſilio, urethrae hirudines admoveantur, et toti peni per noctem circumdetur cataplaſma. Senſilitatis nimiae imminuendae liquidum laudanum urethrae externae applicari poteſt, et, me judice, opium ex aqua ſolutum in urethram immittere conveniet. Si inquietudinem nocturnam faciunt, ad hauſtum anodynum ſub tempus cubitum eundi confugiatur.

3. *Teſticuli tumefacti.*—Cum tumor teſtium primum ſeſe oſtendit, detractio ſanguinis generalis vel topica liberalis, pro gavitate ſignorum et habitu aegrotantis corporeo, adhibeatur. Poſterior, ſi ſatis liberaliter adhibeatur, plerumque ſufficit. Optimos ab eo effectus non ſolum in hoc, ſed in multis aliis exemplis, oriri ſaepe vidi. Ad tumorem increſcentem diſcutiendum apprime accommodantur cataplaſmata, e pane et tenui ſacchari ſaturni ſolutione compoſita, teſticulo, perinaeo, et urethrae, quae praecipua morbi ſedes eſt, applicata. Corpus in poſitura horizontali tenere et teſtes faſcia ſuſtentare, dum

curatio

curatio perficitur, omnino neceſſarium. Vomitionem turpetho minerali excitare fuit laudatum. Multis aegrotantibus vomitum, apud noſocomium Regium Edinenſe, ſummo cum commodo, per tartarum emeticum a viro celebri Dr Hamilton moveri vidi. Alvus aliquo laxante refrigerante modice ſoluta teneatur, et nunquam neglectui regimen antiphlogiſticum habeatur.

4. *Stricturae urethrae et carunculae.*—Hae raro ſemet oſtendunt. Cum ſubſunt, et alia ſigna ſublata ſunt, per inſtrumenta, quae *Bougies* appellantur, et mechanice agunt, ſupprimendae et ſanandae. Commodum non ab iis in urethram ſemel introductis, ſed ab uſu eorum diuturno, ſperandum. Verrucae et gonorrhoeae et lui communes ſunt, et per ſtadia hujus extrema ſaepe oriuntur. Si figura patiatur, ligatura aut ſcalpello demendae. Deinde aliquod cauſticum parti, ne renaſcantur, applicandum. Hoc conſilio adhiberi poſſunt pulvis ſabini, ſolutio corroſivi ſublimati, vel ſal crudus ammoniacus. Ad quae omnia ſucceſſu cum proſpero fuit decurſum.

Quanquam multae gonorrhoeae ſine ullo mercurio, et quoque ſine ullis malis ſequelis, fuerunt depulſae;

depulſae; aliquantum tamen mercurii, ne aliqua viri pars fuerit abſorpta, ſemper ſumendum.

Gonorrhoea hunc in modum curata ſemper, ni admodum fallor, eventum felicem habebit.

Quantum curationem luis incipientis et inveteratae ſpectat, unicum tantum medendi conſilium eſt, actioni nempe viri obſiſtere, et idem omni ratione extinguere conari.

Huic autem potiſſimum accommodatur mercurius, formis diverſis datus. Curationem paucorum e ſignis, quae ſub morbi initium ſemet oſtendunt, prius exequar; deinde qualis curatio lui jam inveteratae conveniat conſiderabo.

1. *Ulcuſculorum.*—Acriter fuit certatum, utrum aperta manere, et mercurio in ſyſtema introducto curatio eorum relinqui, vel applicationibus topicis ſanari debeant. Hoc haud dubie illi longe praeſtat, quod morbus ſub initium loco papulae vel ulceris exigui ipſo circumſcribitur, et ulcuſculum apertum manens materiam, quae abſorbeatur, conſtanter ſuppeditat, unde ſyſtema univerſum magis magiſque affici periclitatur. Quae remedia topica hoc conſilio potiſſimum adhibita fuerunt, ea ſunt praeparata e mercurio. Unguentum in uſu fuit, ſed formae ejus potentiores plerumque neceſſariae eſſe reperientur.

Ruber

Ruber praecipitatus, in pulverem admodum ſubtilem redactus, et parti adſperſus, eſt remedium optimum et uſitatiſſimum. Hoc facto, ulcuſcula pauxillo lini tegantur. Ita materia ad fundum ulcerum ſeparatur, ulcuſcula ipſa purgantur, et tandem ſanantur. Quinetiam ſolutio corroſivi ſublimati, ubi ſemigranum mercurii ſingulis aquae unciis adjicitur, parti affectae admota plurimum prodeſt. Idem e mercurio praeparatum, eadem quantitate ex tinctura roſarum ſolutum, efficaciſſimum gargariſmum in exulcerationibus tonſillarum, uvulae, &c. conſtituit. Hoc modo ulcuſcula ſpatio brevi plerumque poſſunt ſanari. Praeter mercurialia aliud remedium eſt, nempe cauſticum lunare, quod, meo judicio, omnibus aliis palmam praeripit. Monroius illuſtris affirmare non dubitat, ſe ulcuſcula ſpatio unius hebdomadae hoc tolli vidiſſe, quae mercurius in ſyſtema invectus quinque vel ſex non depuliſſet. Cum primum cruſtula per primam ejus applicationem facta a reliquis partibus disjuncta eſt, in tres quartuorve vices, quam maxime exiguo ſpatio inter ſingulas intercedente, iterum iterumque applicetur. Nonne, morbi ex toto praevertendi, cum puſtula primum oritur, adhiberi et reiterari debet? Caeterum, uſus mercurii inter-

nus

nus nunquam negligi debet; namque, ulcuſculo orto, pro certo ſcire nequimus, virus in ſyſtema non eſſe ingreſſum. Quantitas vero multo minor, hac via medendi adhibita, ſufficiet, quam, ulcuſculo ſibi relicto, et viro in ſyſtema intrare permiſſo, ad morbum, et intus et extra ſtragem edentem, extinguendum ſuffeciſſet.

2. *Bubonum.*—Quinetiam, utrum hos ad ſuppurationem perducere vel diſcutere tutius ſit, fuit diſputatum. Illud ſatius eſſe ducitur, quoniam virus venereum e parte, ubi collectum eſt, ipſa evacuat. Caeterum, uſus practicus plane docet, hanc medendi viam plurimum moleſtiae ſecum adducere, et ulcera ſinuoſa poſt ſeſe non raro relinquere, quae aegerrime ſanantur. Inſuper, eadem fere mercurii quantitas, ſive bubones ad ſuppurationem perducas, ſive diſcutias, neceſſaria eſſe reperitur. Hinc eos diſcutere, ut celebris Aſtruc aliique ſuadent, pro virili contendere ſemper debemus. Quae ad eos diſcutiendos accommodantur, ea ſunt cataplaſmata e pane et ſaccharo ſaturni ſoluto confecta, unguentum mercuriale parti interiori femoris, infra glandulas inguinales, et perinaeo illitum, ſanguis per hirudines detractus, et ſimilia. Si haec remedia incaſſum adhibeantur, et magnitudinis

auctus,

auctus, dolor, pulſatio, &c. bubonem ad ſuppurationem perventurum eſſe oſtendant, omnia, cataplaſmate emolliente ſolo excepto, protinus omittenda. Licet vero ſuppuratione finiantur, et plurimum puris ſit effuſum, curatio morbi non huic ſoli concredenda, ſed mercurius nihilominus adhibendus.

Cum virus ſyſtema ingreſſum eſt, et humores corrupit, qualiacunque ſigna ſemet oſtenderint, omnis noſtra fiducia in mercurio ſolo collocanda. Hic autem in ſyſtema humanum vel inunctione vel ore invehi poteſt. Si ratione priore utamur, quantum in corpus introducatur pro certo noviſſe non poſſumus. Hinc ſputum nimis copioſum movere, vel mercurium parcius juſto adhibere, periclitamur. Commodum vero hujus rationis praecipuum hinc pendere dicitur, quod canalem alimentarium non afficit, et diarrhoeam excitat. Diarrhoea autem, altera ratione mota, opio fere ſemper ſiſti poteſt; et ambigi non ſine cauſa gravi valet, utrum inunctio non tantum diarrhoeae progignat, quantum uſum opii requiret. Ob hanc igitur et alias cauſas, relatu nimis longas, mercurium per os et ventriculum invehere praeſtat.

Alia

Alia quoque mercurium in corpus humanum, luis curandae, invehendi via eſt, calomelas nempe, ut Clare praecepit, parti oris interiori affricare. Hanc rationem apud noſocomium regium a viro celebri Dr Home, ſucceſſu cum proſpero, adhiberi ſaepius ſemel vidi. Eam reliquis anteponit. De commodis ejus fuſius diſſerere me non patiuntur limites ſoliti diſſertatiunculis hujuſcemodi praeſcripti.

Ex omnibus mercurii praeparatis, quod plurimum adhibetur, et a pleriſque pro optimo habetur, id eſt pilulae Pharmacopeiae Edinenſis caeruleae. Monroius, jure celeberrimus, affirmat, ſe nunquam exemplum, quod hiſce pilulis et unguento communi mercuriali, tarde, ſine intermiſſione, et per ſpatium temporis ſatis longum adhibitis, non cederet, offendiſſe. In uſu mercurii pergere debemus, donec anima foetere incipiat, ſapor oris ingratus oriatur, gingivae leviter tumeant et doleant, et ſputum modicum excitetur. Eo non abſtineatur, donec omnia morbi ſigna fuerint ſublata, et nullum periculum, ne redeant, manebit. Sputum copioſum non morbum citius certiuſve depellit, ſed aegrotum debilitat. et fundamenta multis aliis morbis, qui non alioquin acceſſiſſent, plane jacit. Vix ullus

caſus

caſus exigere poterit, ut in uſu mercurii ultra tres menſes perſtemus, et morbus plerumque ſex hebdomadis aut circiter decedet. Hoc modo lues quam maxime inveterata fuit ſublata. Si pilulae votis non reſpondeant, ad alia e mercurio praeparata, ut corroſivum ſublimatum, mercurium praecipitatum per ſe, mercurium cinereum, calomelas, &c. confugiatur. Ubi cutis magnopere fuit affecta, pilulae Plummeri in morbum plurimum potuerunt.

Si caſu vel prava adminiſtratione ſputum nimis copioſum evadat, remedium, quod vulgo adhibetur, eſt ſulphur, quod, ſemet mercurio adjungendo, hunc inertem reddere exiſtimatum eſt. Caeterum, me judice, vi ſua laxante tantum prodeſt. In locum ejus apte ſubſtitui poſſunt purgantia refrigerantia, qualia ſunt ſales Glauberiani. Epiſpaſtica pone aures applicata ſigna levare ſolent. Sed ſpatio non longo ſponte ſua ceſſabit.

Si vires aegroto incipiant convelli, cortex Peruvianus, et alia tonica mercurio ſunt adjungenda. Si in hanc medendi viam procedatur, omnes luis noxae funeſtae plerumque vitabuntur.

Nonnullis in exemplis, ut in affectibus cutaneis, decocta ſarſaparillae, guaici, mezerei, et

ſimilium, cum commodo adhiberi, et actionem mercurii, eum cutem verſus derivando, adjuvare putantur. Saepe uſurpantur corroſivo ſublimato adjuncta; ſed, ſine magna antidoto, mercurio morbum nunquam tollunt.

Quantum ad regimen, quod inter luem ſanandam debet adhiberi, attinet, id, prout neceſſitas poſtulat, variandum. Non opus eſt, ut aegroti aeque calidi, ac olim moris fuit, ſerventur; ſed in temperie tamen aequali teneantur, quod lues, ut omnes norunt, in calida, quam in frigida, regione facilius ſanatur. Quo noxae a frigore proficiſcentes vitentur, ſe domi contineant aegroti. Si hoc fieri nequit, vim cujuſlibet coeli mutationis ſubitae periculoſam, quantum in ſemet eſt, imminuant, induſiis laneis et veſtimentis calidis quam optime induti. Cibo omni ſtimulante, ut condimentis et ſimilibus, abſtineatur. Pars alimenti praecipua e juſculis animalibus, farinaceis, et vegetabilibus conſtet.

Si uſu mercurii diuturno aegrotus debilitetur, exercitatio, diaeta tonica, et uſus vini modicus, omnino ſunt neceſſaria, et ad curationem abſolvendam plurimum conferent.

F I N I S.